THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT
Salzburg, Mitte 15. Jh. Seite 250r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8285
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Quod peccatum mortale dicitur quod tollit
vitam spiritualem que est per caritatem
secundum quam deus nos inhabitat
unde illud peccatum ex suo genere est mortale
quod de se secundum propriam rationem con-
trariatur caritati huiusmodi autem sunt
invidia et accidia nam proprius
est effectus caritatis est gaudium de
deo et de bonis proximi sed accidia
est tristicia de bono spirituali in quantum
est bonum divinum Invidia autem
est tristicia de bonis proximi unde
directe caritati contrariatur ergo
secundum genera sua sunt peccata mor-
talia Similiter avaricia secundum
quod opponitur iustitie ex genere suo est
peccatum mortale similiter de luxuria
Sed considerandum est de omnibus
peccatis que secundum genus suum sunt
mortalia quod non dicuntur mortalia
nisi quando suam perfectionem consequuntur Est
enim consumatio peccati in consensu
rationis loquimur enim nunc de peccato
humano quod in actu humano consistit
alicuius principium non est mortale
Unde si fit inchoatio peccati in sola
sensualitate et non perveniat usque
ad consensum rationis propter imperfectionem
actus sicut quando aliquis movetur ad
peccandum in deliberatione non ex
ratione tunc non est peccatum mortale
sed veniale sed si perveniat usque ad
consensum rationis erit peccatum mortale
Similiter motus concupiscentie et
primi motus si remanet in sola sen-
sualitate peccata venialia sunt propter
repugnantiam carnis ad spiritum
Si autem prevalet caro spiritui et
ratio succumbit usque ad detestationem
boni divini tunc omnino erit peccatum
mortale Idem intelligas de peccato
gule Si enim delectationem gule

quis inheret tamquam finem propter quem
etiam paratus est agere contra precepta
dei ut in cibo vel potu delectationes
assequatur oritur peccatum mortale Si
vero quis concupiscit delectationes ciborum
non tamen ita ut propter hoc aliquid
faceret contra legem dei est peccatum veni-
ale Et sic ymaginandum est de omnibus
peccatis quia si pertinguntur usque ad perfectam
rationem et ad perfectionem actus et sunt
de genere mortalium peccatorum erunt
peccata mortalia Si autem retinentur
in sola sensualitate et non perveniunt
ad perfectionem actus erunt peccata venialia
quia dupliciter contingit hominem pec-
care Uno modo sic quod tota voluntas et
intentio mentis abrumpatur ab ordine
ad deum qui est ultimus finis bonorum
et dicitur peccatum mortale Alio modo peccatur
sic quod manente ordine tamen inter huma-
nam cognitionem et ultimum finem ponitur
impedimentum aliquod propter quod re-
tardatur ne libere tendat in finem qui
est deus et hoc dicitur peccatum veniale
Actus autem peccati venialis idem ymo
nullo modo potest fieri mortalis sed idem
actus in specie bene potest fieri mortalis
dum peccatum quod in se est veniale si
postea accedit consensus et placen-
tia potest fieri mortale sicut etiam assuefactio
iurandi facit ruere in periurium Item
multa venialia peccata dant occasi-
onem labendi in mortale Et sic
veniale potest fieri mortale idem in
specie sed non in numero Iste autem diffe-
rentie bene respiciantur et sufficiat
alias enim breves dicta difficulter
tradi potest

Capitulum xxviiii^m de remissionibus peccatorum originalium mortalium et venialium

In superioribus diximus de peccatis
originalibus mortalibus